fortium dum iocantur. Agitur vice spectaculi, quod sequenti
tempore poterit satis esse virtuti, dum amentis puerilibus
hastilia lenta torquentur, dum arcus cottidiana captivitate nec
longius dirigunt. Urbis omne pomerium simulacro congressionis
adteritur. Agit figuram certaminum, ne cum periculo veniant nascan-
tur. Ad haec quis credat unum pectus posse sufficere, ut per
procinctus indomitus vincat in proeliis, et agat consilio, ne dimi-
candi causa contingat. Rutilium et Manlium conperimus gladiato-
rium conflictum magistrante populus providentia consulis spectasse,
ut inter theatralis caveas plebs diuturna pace possessa, quid
in acie gereretur agnosceret. Sed tunc feriatis manibus frustra
sociae mortis ingerebantur aspectui. Numquam bona sunt quae
a crudelitate veniunt instituta, ut armarentur contra hominum
casus animi prius videre exitia suorum. Interea illa congressio
(quod docuit exitus) non tam peperit incrementa roboris quam pa-
voris, et inter secundas res didicit inbellium animus quid timeret.
Vide ad inventionum diversitatis pleno calle discrimen. Illis uetiti
cruoris effusio animas a dimicatione submovit, hic adules-
centium vigor de imagine meditatae concertationis incanduit.
Quos prae conspectus tot mortes adversariorum repositus
docuit habere quod spicula non iterat exoticus discursus adsueti
faretrarum dispendia neglegenter effundere. Nec in cuius
exitia manifeste torquere, tot exacturi animas, quot tela
vibraverint. Sed inter proeliares fortes successus, quibus omnes
instruis et concilias omina secunda vincendi, civilitatis dulce-
dini nil reservas. Quis credat heroas tuos peregrinam non
respuere, dum sunt tranquilla, formidinem? Nam indomita
inter acies ingenia leges coercent, summittunt praeceptis colla
post laureas, et calcatis hostium cuneis, quibus arma cesserint
decreta dominantur; fulvis metallis et natura compositus, cuius
magnanimi iussa spectentur. Origo te quidem dedit dominum,
sed virtus adseruit, sceptra tibi conciliavit splendor generis,
cuius si deessent insignia, eligi te in principem mentis fecisset.

Universitätsbibliothek Heidelberg · Koninklijke Bibliotheek van België / Bibliothèque royale de Belgique · Hessen · Staatliche Schlösser und Gärten Hessen · UNESCO · Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Koninklijke Bibliotheek van België / Bibliothèque royale de Belgique
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/kbr_ms9845-48/0286